

Die Urkunden Karls des Großen, 239

Karolus gratia dei Francorum rex et Romanorum patricius omnibus orthodoxis in Christo Iesu domino nostro baptisatis. Florente per dei misericordiam statu regni nostri, pacato hinc inde imperio cum gloriaremur in palatio nostro Aurelianis et

essent una cum nobis plures de optimatibus, placuit maiestati nostre ex dispensatione divine sublimitatis, ut loca sancta ipsius urbis visitaremus et regi regum Christo pro concessis nobis beneficiorum suorum muneribus gratias ageremus. Accito itaque viro venerabili Agio ipsius urbis episcopo pluribusque aliis ex ordine ecclesiastico canonicales ecclesias singulatim visitavimus urbem peragrantes et de sanctuario uniuscuiusque per singulas requirentes. Tandem cum pervenissemus ad quandam ecclesiam extra urbem in honore et nomine sanctae dei genitricis et perpetuae virginis Mariae consecratam, in qua gloriosus confessor domini Euvertius in corpore quiescit, supradictus episcopus verbum nobis omnibus ob aedificationem animarum faciens intimabat, qualiter ipse sanctus Euvertius spiritu sancto demonstrante in specie columbae episcopus designatus fuerit et quod in dedicatione basilicae sanctae Crucis manus domini super caput ipsius sancti apparuerit. Adiecit denique miraculum non silendum non multum temporis ante factum, cui etiam plures religiosi qui ibi aderant perhibebant testimonium, quod tempore Vandalicae persecutionis, cum latuisset venerabile corpus beati Euvertii intra civitatem in ecclesia sancti Stephani prothomartyris cessanteque postmodum persecutione referretur a fidelibus personis ad praefatam ecclesiam sanctae dei genitricis cum multo triumpho comitante copiosa multitudine innumerae plebis, repente pluviali tempestate exorta, cum prius dies esset serena, pro inundantia pluviali nullus iter agere valebat exceptis illis, qui sancti corporis preciosas comitabantur reliquias. Sed ut gloriosi confessoris meritum claresceret et, quem in caelesti palatio rex regum immensa cumulavit gloria, dignus in terris honore incomparabili existeret, baiulos sacri corporis lux incomparabilis circumfulsit et nec illos neque pallium, quo tegebantur sanctae reliquiae, aliqua aquae pluvie madefecit. Cognoscentes igitur sanctissimi confessoris et deo digni gloriosum meritum precantes denique, ut pro nobis intercessor existeret apud deum, deo prius gratias retulimus et postmodum ad tumulum sanctissimi pontificis et deo digni Euvertii cum populorum multa frequentia accessimus, donaria quoque regiae munificentiae super altare ipsius imposuimus et ad usus canonicorum inibi deo servientium quasdam terras de fisco nostro ad honorem salvatoris nostri Iesu Christi et sanctissimi confessoris Euvertii contulimus, videlicet in pago qui vocatur Sicalonia quandam villam nomine Seneliacum cum ecclesia et terris arabilibus silvasque, quae in circuitu eius sunt, et prata, servos et ancillas, vivarium piscium et omnia ad ipsam villam et ad ipsam ecclesiam pertinentia. In Belsia quoque concessimus villam unam quae Balderici villa dicitur cum terris arabilibus et omnibus ad eandem villam pertinentibus, iustitiam quoque ipsius potestatis id est vicariam, sicut antecessores nostri tenuerunt et nos tenebamus, totam concessimus, ut deo militantes canonici quiete teneant, pagenses villani sub quiete clericorum pacifice vivant et nullius incursoris inquietudinem timeant. Et si quid aliud est, quod officiales regiae dignitatis capere soliti sint in pretaxatis terris et in aliis terris gloriosi confessoris Euvertii infra ditionem regni nostri, ubicumque sitae sint, donavimus et donamus, dimisimus, condonamus et concedimus. Si vero, quod minime credimus, contra hanc donationem nostram et contra regiae maiestatis auctoritatem moliri et facere temptaverit aliquis et aut ad dominium suum supradictas terras revocare presumpserit aut alias consuetudines ad opus suum inferre aut capere voluerit in illis, sciat se contra regiam maiestatem fecisse et iram domini Iesu et beati Euvertii incurrisse;

insuper et capitalis censurae reus tamquam reus maiestatis aut capite plectatur aut fisco persolvat centum libras auri atque demum presumptuosa ipsius petita irrita sint et inania. Et ut haec donatio nostra firmior esset et contra omnium calumpniatorum impetus inviolabilis et stabilis permaneret, eam subter firmavimus et anulo nostri regni subter insigniri fecimus. Precipimus etiam, ut et ipse venerandus Agius episcopus et ceteri, qui ad curiam nostram venerunt, episcopi excommunicarent et anathematisarent omnes, qui contra hanc donationem nostram facerent et essent infesti, qui quietem sanctae dei ecclesiae et fratum deo inibi militantium vexarent et turbarent, qui aliquam quoque super his, quae superius inserta sunt, ministris suprascriptae ecclesiae molestiam inferre temptarent. Quod et fecerunt et anathema suum inferius subscriperunt manibusque propriis nomina sua subterius conscripserunt. Excommunicamus et anathematisamus, a liminibus sanctae dei ecclesiae sequestramus, quicumque contra hanc donationem facere temptaverint; et quicumque aliquid de his omnibus, quae superius adnotata sunt, quassaverint, sint cum Iuda proditore damnati, sint cum Dathan et Abiron anathema, maranatha. Et responderunt omnes: fiat, fiat.

Agius episcopus Aurelianorum et abbas ecclesiae sancti Euvertii.

Rogerius archiepiscopus Remensis.

Deodatus episcopus Suessionensis.

Ioannes episcopus Trecensis.

S. comes Aigulfus.

S. comes Aimerantus.

princeps Dagillus. (M.)

Actum Aurelianis publice pridie kal. iulii regnante Karolo Magno rege Francorum anno XV ipso eodem patricio Romanorum.